



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

13. Mirabilia Dei iudicia è Lydvvinæ vita doceri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

indicare. Nimirum hic morborum effectus est, si patienter eos patiamur.

Hac enim de causa historia Lydvinae in litteras, & posteros missa est: hac de causa, ad eam confluxere plurimi, summi, infimi, medij: hac de causa *Verboldus veniens ad domum eius, vidensq; egestatem, & sumentem, fissam, ac liuidam faciem, corpusculum putrescens, nec tamen male olens, scatens vermibus, & suavespirans odores, lachrymatum est vir piissimus.* Hac de causa Comes Hollandiae Wilhelmus Sciedamum venit, Lydvinae virtutibus excitus, atque idcirco vel in patrem eius munificus. Hac de causa viri Religiosi ad eam Monachique profecti sunt, vt eius consilio & exemplo fruenterentur. Hac de causa afflicti multi ad eam confugerunt, verbis eius & factis recreati. Hac de causa Princeps quidam e longinqua regione ad eam curiosa sciscitaturus ductus est, vt mira illius vi incensus emendatusque recederet *Per multi alij nobilissimi vtriusq; sexus homines, noctibus, veste mutata, adibant illam, quibus ea multa virtute salutis verba eructabat.* Multi a tentatione, multi a flagitiosa vita liberati sunt, qui illam adierunt; correctus Rogerus; Theologus quidam Ordinis S. Dominici e Traiectensi Dioecesi profectus altissima mysteria didicit; Ioannes Dux Bauariae patientia & virtute eius locupletatus est. Vno verbo, omnes, qui vel ei adfuerunt, vel adhuc stupenda eius prodigia, tribus libris seu partibus a Ioanne Brugmanno enarrata, legunt, e diuinis iudicijs recte iudicare discunt; & velut in clarissimo speculo vident, quae sit vera huius vitae felicitas & beatitudo, & quis infelix aestimandus. Intelligunt enim, veram vitae nostrae prosperitatem, non in pecuniae thesauris, & auri argentiue copia, apud Croesos; non in titulis & dignitatibus; neque in bona valetudine, & corporis sanitate positam esse; sed in virtutum exercitio consistere. Intelligunt rursus, non eum infelicem iudicandum, qui inopia rerum, honorum amissione, aut ignominijs, & mille calamitatibus prematur, vel etiam morbis grauissimis obruatur; sed qui peccatis sit plenus, & vitijs coopertus. Intelligunt igitur, eos, qui auro, argento & nummis, sed simul etiam vitijs abundant, esse miseros; eos, qui in dignitate, sed simul etiam iniquitate viuunt, esse infelices; eos

XIII.

P. 1. cap. 6.

P. 1. cap. 7.

P. 2. cap. 4.

P. 2. cap. 4.

P. 3. cap. 2.

P. 3. cap. 5.

148 *Cap. XXXII. Lydvina admiranda in morbis, patientia doctrix,*
item, quibus bonæ corporis vires, sed mali mores sunt, esse de-
plorandos. Intelligunt eos, quibus nullus in arca, sed magnus
in anima census; nulla sanguinis, sed magna pectoris nobilitas;
nulla vel infirma corporis, sed bona mentis valetudo, quantum-
uis ægri sint, si sancti sint, verè pro beatis & Deo dilectis ha-
bendos; quoque magis vel paupertate, vel contemptu & igno-
minia, vel membrorum doloribus affliguntur, eò esse feliciores,
& coram Deo, immò etiam tandem coram mundo gloriosiores.
Rom. 5. 4. Siquidem tribulatio patientiam operatur: patientia autem probatio-
nem; probatio verò spem: spes autem non confundit, neque spe-
rantem decipit, sed maiora affert præmia, quàm sperare potuis-
set. Non igitur mundi, sed Dei iudicio, cum Lydvina stan-
dum est; illudque, non quod caro, sed quod spiritus melius judi-
cat, de manu Dei accipiendum.

XIV.
S. Augustini
lib. 1. de visit.
ægror. cap. 6.

Tu igitur, ait S. Augustinus, *chare mi, ad modicum migratu-
rus de mundo, tantam & tam ineffabilem benignitatem Domini tui ne
spernas, flagellum illius gaudenter suscipe: flagellat in te, quod nescis,
nec iniuste: iusta enim sunt ipsius iudicia, morbus hic corporis medici-
na est spiritualis. Porrò recogita quod morbus tuus, ut aiunt medici,
est incurabilis, & tecum reuolue, quoniam si contra Deum presump-
seris murmurare, & morbum, velis nolis, sustinebis: nec murmu-
rando sanaberis, immò animo debilitaberis, dum contra Deum tuum,
patrem tuum, medicum tuum, magistrum tuum mansuetissimum, &
tranquillissimum, in ipso flagello pacatissimum, qui numquam iratus
est, cum iratus est, misericordia recordatur, murmuraueris. Mei
igitur acquiesce consilijs, & quandoquidem murmurando duo mala
sustineres, pacificus esto, & grauamen corporale fac tibi antidotum
spiritale. Non enim si in flagello vis Deum recognoscere, corpore &
anima flagellaberis, non enim flagellat Deus bis in idipsum. O quàm
iucundo pectore, quàm lato corde visitationem diuinam debes præopta-
re! certè si corpore totum præualeres, infirmitatem medicinalem à Deo
debueras votis omnibus expetere, & ne sanitas corporis, infirmitas es-
set anima, metuere. Nihil aliud scio, sed quia infirmaris, utiliter debes
gaudere: quia iuxta est vocatio diuina, debes ei totis visceribus latius ad-
esse. Eia si episcopatum, aut honorem alium, aut sanitatem infirmis
optabilem tibi concessisset DEVS, nonnè omni gaudio illud donum
DEI*